



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Ivlivs Cæsar Scaliger Carolo Sevino amico præcipuo, S. LXXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

262 . IVLII CÆSAR. SCAL.
vt publice absoluatur. Tertia nondum per-
fecta est. Item librum admirabilem de sim-
plicibus medicamentis cum erroribus, tam
antiquorum quam recentiorum. Vale,
Agenni xv. Cal. Februarii. M.D. XXXIII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

C A R O L O S E V I N O

amico præcipuo, S. LXXXII.

EXOLVO nunc fidem meam, optime
Seuine, Hymnos Iohanni Bapt. & Ro-
cho atque Sebast. ad te mitto, ea lege, vt
per te castigati, edantur, sed ita vt ne quid
limæ desideretur in editione ipsa. Puncta
vero tibi commendo, quorum rationem
adeo necessariam duco, vt & illustriorem
fieri orationem putem, non solum senten-
tias distingui. Ludouicam vero Sabaudiam,
præter cætera, vt quam diligentissime ex-
cudendam cures, etiam atque etiam rogo.
quanquam enim multos habeat rex poe-
tas optimos, tamen res ipsæ comparentur,
non auctorum nomina. Fidei virgini & mar-
tyri Agennensi hymnus, nondum mihi pe-
nitus probatur, sed alias persoluam. sicut
quatuor superiores, Deo patri, Deo filio,
Deo spiritui, vtriusque & ab utroque vni,
&

& gloriosissimæ matri semper virgini Mariae, qui omnes affecti sunt, sed nondum perfecti. Mitto etiam Epitaphia regiae matris, parem fortunam tua ut opera subeant. libuit enim mihi insanire, qui post tot argumenta, tot illustrium virorum egregias inuentiones, ausus sim interstrepere, idque neque sobrie, neq. mediocriter, non enim vno Epitaphio contentus, alterum etiam addidi. Satis id putasti? At non satis præcipiti ingenio, quale mihi obiiciunt amici, itaque cum vespere literas obsignassem, sub lucem poposci pugillaria, ut te quoque infomnia exerceat. Vale Agenni xx. Cal. Februarii M.D.XXXIII.

IULIVS CÆSAR SCALIGER
MICHAELI VASCOSANO
Typographo S.P.D. LXXXIII.

IOANNES Raollus Parisiensis cum Lutetiam iret, petiit de me siquid isthic sua opera curatum vellem: ei itaque negotium dederam, ut opusculum meum quod Lacrymas inscripseram, edendum tibi committeret, si iudicio tuo posteritatis memoria dignum videretur. Is vbi rediisset, præter spem nihil attulit. Quo factum est vbi suspicarer negligentius ab ipso datam operam. nam ne-

R 4 que